



9









an 61  
DANIELIS VECHNERI  
AURIMONTANI

ORATIO  
INAUGURALIS,

Quâ

Boni Ludimoderatoris  
officium adumbravit :

*Cum ipsi Scholæ*

JAUROVIENSIS

INSTAURATIO

ab inclyto Senatu publicâ so-  
lemnitate demandaretur,

NONIS OCTOBRIBUS

MDCX.



Plinius 1. Epist. 8.

UT verò aliquis libenter educationis tedium labo-  
remq; suscipiat, non præmiis modò; verume-  
tiam exquisitis adhortationibus impetrandum est.

---

LIGNICII Typis NICOLAI SARTORII.



DEUTSCHES RECHNER

ANLEITUNG

OTTO

MEYER

1841

Bei Lindemann'scher

Verlagsbuchhandlung

in Leipzig

VERLAG

LEIPZIG

Verlag

Leipzig

Verlag

M. D. C.

Verlag

1841

Verlag

Leipzig

Verlag







Inclyto  
 S E N A T U I  
 reipub.

Jaurovienfis,

Viris virtute, eruditione ac re-  
 rum usu spectatissimis,

M. DANIEL VECHNERUS

ἐυπράτηεν.

**N**signis & verè regia vox illa est  
 Agamemnonis apud Homerum, ejus  
 quem ποιμένα λαῶν vocat: βέλομ' ἐγὼ, in-  
 quit, λαὸν σὸον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι. Tan- Iliad. α.  
 tam nimirum curam, ac sollicitudinem pro suis sibi subdi-  
 tis esse dicit, ut illorum salutem, suamq; ipsius vitam in  
 aequo ponat, & discrimen non faciat, nec signet albâ li-  
 neâ. Neq; enim, qui aliis præest, bonam vitam & qui-  
 etem (quod Tyrannorum esse Trajanus Imperator dice-  
 re fuit solitus) querere debet; sed diligentem ac sollici-  
 tum esse oportet, & pro communi salute vigilare. Nem- de Repub.  
 pe quod divinus Plato voluit, ad exemplum canum, qui 3.  
 insomnes sunt, & acutissimè vident, audiuntq; pro suis  
 excubabit, omniumq; domos (verbis Senecæ) illi- Consol. ad  
 us vigilia defendet, omnium ocium illius labor, Polyb.  
 omnium delicias illius industria, omnium vaca-  
 tionem illius occupatio: atq; ita re ipsâ omnibus ap-  
 probabit.





Xenoph. probabit, semet ἑδὲν διαφύγειν πατρὸς ἀγαθῶν.

Hac boni magistratûs est regula, ad quam se feliciter sané exigit, quicumq; de præsentî statu seriò cogitat, eumq; pro virili incolumem præstat: quòd si in longitudinem, etiam consulere, & quòd posteritatem juvet, poterit, jam ille non ad normam bonus est; sed anormis ipse normam istam accuratiore quâdam rectitudine corriget: nec suam saltem mensuram explebit; sed πᾶντὸς λόγῳ πῆρα cumulum adjecerit.

Vestrâ causâ sermonem hunc instituo, amplissimi Cons. & Senatores, de quorum quidem fideli & salutari gubernatione ne quid curiosè an obnoxie jactitem, sed ut intra mea septa consistam, hoc unicum dico, idq; ut vel ipsa Invidia exaudiat, Vos dum nunc Scholam vestram omni conatu instauratam cupitis, non modò quàm maximè præsentî statui consulere, sed quàm longissimè posteritati etiam, si quæ fuerit, prospicere. Agros (ut sic dicam) civitatis vestræ nunc conferitis, unde segetem letissimè luxuriantem post paulò surgere videbitis, spem magnæ messis, qui post vos futuri sunt, relinquenturi. Ex his enim, quos nunc in pietate, in moribus, in lingvis, in artibus Schola nostra cum qualicumq; dexteritate format, ne quid amplius dicam, ad quamcumq; reip. partem rectè & laudabiliter administrandam cives optimos sperare poteritis: si modò vos ipsi, quos in primo cursu satis strenuos videmus, deinceps quoq; non minùs alacres experturi sumus. Quòd quidem tametsi nullus dubito, hanc tamen Inauguralem Dissertationem meam, imò vestram (vobis namq; scripta dictaq; fuit) nunc iterum consecro, ut hac tanquam monitrice subinde incitati in cursu suscepto non deficiatis; sed viâ semel in itâ gradu grandi, & (ut Comici verbo utar) grillatorio, ad publicam illam utilitatem, quam animis vestris præcepistis



cepistis, posterisq; destinatis, grassemini. Accipite igitur,  
inclyti Senatores, serenâ fronte hoc quicquid est vobis  
debitum, vobis exaratum ac consecratum, & quâ ani-  
mi promptitudine ac benevolentia nuper audistis, eâ-  
dem nunc intuemini, & per vos ad alios quoq; permana-  
re permittite, ac me meosq; labores vobis quàm commen-  
datissimos esse sinite. Sic vobis cæleste Numen  
πλθθυλειαν largiatur singulis, saluberrima consilia  
pro bono publico universis. Kalend. Novembr.  
M D C X.




A 2

Ad



Ad Virum clarissimum,  
Dn. M. Danielelem Vechnerum,  
Scholæ Jauranæ  
Instauratorem & Rectorem industrium,  
amicum veterem, &  
optimum.

 Uale solent, tacito secum sub corde querentes  
Damna, Redemptori commemorare suo:  
Quale maris dubios perpeffus Nauta labores  
Gestit, ubi portum fessa Carina subit:  
Tale ego, Jaurani post tot discrimina Ludi,  
Ipse meo tacitus gestio sæpè sinu,  
Quòd tibi sceptræ scholæ credit, VECHNERE, Senatus,  
Rectorisque tuam poscit & orat opem.  
Durum est, quis neget? afflictum instaurare Lyceum,  
At parta ex duris gloria major erit.  
Plaudite Jaurani Cives, quòd frena Juventæ  
Committit tanto patria fessa viro.  
Vix pubem vestram doceat qui rectius unquam,  
Vix pubem melius qui regat, alter erit.  
At tu macte! tuo Res nostra scholastica ductu  
Surgat, & auspiciis floreat usque tuis.  
Urbis THESAURUS tibi creditur, hunc age cautus  
THESAURUM serua, & quâ licet amplifica.

M. ADAM HENTSCHELIUS  
Pastor Jauranus.

Ad



Ad clariss. Dn.

DANIELEM VECHNERUM  
Philosophiæ M. & Ludi apud  
Javoranos Rectorem.



*Andem habeo! in patriis Musas ceci-  
nisse cathedris:*

*Experior votis fata benigna meis.  
Paullo aliter splendet, quantum spe-  
ctamus, ab ortu*

*Phœbus. credo aliud nunc meditatur epos.  
Rem cœptam firment Superi: lux ista ruinas  
Expoliet tremula spe meliore domûs.  
Quid ni? tu vivâ depingis imagine quis sit  
Rector: Et ut dixti, post, puto, vera dabis.  
Improbis invidiâ rumpat: grata ocia Musis  
Præbeat hic lætâ conditione locus.*

NICOLAUS KREBS.

---

**I**mprium tandem firmum est, Rectore regente.  
Imperium peritat, Rector ubi peritat.  
Favorana tibi periit Schola Rector! utrûmne  
Ipsam etiam Imperium sollicita periit?  
Non periit. catus expetiit nova fulcra Senatus,  
Rectorémque Scholæ restituit vigilem.

Gratulor,



Gratulor, Imperium tibi firmum esse ô Schola. du-  
Sedula, & ingenii tuta medela rudis. (Etrix  
Rector Olympiaci Imperii bene cœpta secundet.  
Rectoremque tuum, quem dedit IPSE, regat.  
Rectori resonet! meritis. cui doctior orbis  
Festivè fasces subjicit imperii.

FABIANUS SCHUBHARTH.



Credo



**C**redo ego non de fore mihi, imò esse certò scio quibus mirum hoc sit, cur ego, qui hætenus in illustri Gymnasio non sine applausu docui, idq; in ipsâ patriâ, quam meritò amare & magnificare omnes boni debent: nunc repentè mutatâ animi sententiâ aliò me conferam, & ut *γυμνήσι κεφαλή* (quod dicitur) atq; ipsorum verbis hoc edisseram, operas meas Scholæ addicam hætenus sine nomine. Si nihil aliud, hoc saltem à proposito me avertere & abstertere debere autumant, quòd fama mea, pro quâ tot labores exantlaverim, hoc ipso factò non parum periclitari videatur. Fortasse etiam fuerint, qui hujusmodi loci mutationem argumentum esse animi non satis compositi interpretantur, qui nullibi consistere, secumq; morari hominem, sinit. Profectò facere non possum, quin hujusmodi talibus, qui ita in nos velitantur, statim in vestibulo orationis meæ respondeam, & si fortasse minus ipsis, certè iis, qui paulo æquiores mihi sunt, satisfaciam.

Ac primùm quidem infitari nolo, loci celebritatem multos luculentos facere solere, si scilicet ipsi suam lucem loci illius luci redde-  
re sint idonei, & non propter suam ipsorum obscuritatem & inertiam à nimio splendore opprimantur, atq; ut noctuæ propter exilitatem lucis oculorum suorum à luce diurnâ ex-  
cœcantur; sic illi ab hoc sole. Et sanè ut ipse de me, sed citra ambitionem dicam, à Ducali Gymnasio veteri & perillustri, in quo undecim

B

ipfos





ipſos annos docui, ita lucem accepi, ut redde-  
rem; atq; ita reddidi, ut ſubinde florentiorem  
meam lucem à loci Genio fanè quàm illuſtri  
reciperem. Verùm eſto, ornet quempiam loci  
celebritas; contra tamen nec hoc infrequens  
eſt, ut loco officioq; obſcuro, ignobiliq; lucem  
quiſpiam inferat virtute & induſtriâ: quem-  
admodum de Epaminundâ literarum monu-  
mentis proditum eſt, qui cùm à Thebanis Te-  
learchus creatus eſſet, (magiſtratus is erat, an-  
te ea tempora levi momento æſtimatus) ita  
eum magiſtratum adminiſtraſſe ſcribitur, ut  
deinceps multò honoratior haberetur, & ex  
eo Telearchi non niſi ex principibus civitatis  
perpetuò crearentur. Arduum hoc quidem  
eſt, fateor: atq; ideò, qui tale quid ſuſcipit,  
virum puto; qui patrat, albæ gallinæ filium,  
cujus laudem & gloriam ob idipſum altero tan-  
to ampliorem judico. Suſcipere fanè animi  
excelfi eſt, hunc ſuſpice: perficere induſtriæ,  
cum felicitate conjunctæ, & felicitatis, cui in-  
dividua comes it induſtria, has venerare. Ita  
namq; hæc duo inter ſe devincta & colligata  
ſunt, ut ſi cuiſpiam quod fortiter ſuſcepit, i-  
dem ex ſententiâ ad effectum cedat, & felici-  
tatem in ſingulari induſtriâ mireris, & induſtri-  
am in eximiâ illâ felicitate deamare cogaris.  
Cur igitur non & ipſe Fortunam tentem? cui  
ut nunquam quidem in delitiis fui, ſic nec planè  
novercam expertus ſum: cur non pericliter in-  
duſtriam? de quâ ut nunquam plus juſto quid-  
quam præſuſi, ſic de eâdem nec omninò de-  
ſperandum judico: cur non animi mei hoc  
quasi



quasi signum extollam? qui quidem plerumq;  
est demissior, ut non frangatur laboribus: sed  
& erectus interdum, ut non pessum eat auda-  
ciâ: & quandoq; fortis, ut non incendatur con-  
fidentiâ. Imò verò talem cum bono Deo pro-  
vinciam capiendam censeo, & qualemcunq;  
radium, vel stricturam veriùs lucis inferre lu-  
do literario, in quem evocor: atq; ut antea in  
illustri Gymnasio non nemini ad humanitatis  
studia magisterio meo præivi; sic deinceps in  
Scholâ oppidanâ non paucos, divinâ annuente  
gratiâ, excolam, idq; meliore fortasse succes-  
su, quòd meo remigio rem sum gesturus, qui  
ad alterius arbitrium operas meas nuper com-  
ponere sum solitus. Cum enim multis labori-  
bus & molestiis stet nobis qualiscunq; erudi-  
tio, quibus non rarò pueri absterrentur, potest  
sanè industrius præceptor interdum laborem  
illum aliquomodo allevare discipulis, &  
viâ paulò expeditiore, quo vult deducere: at  
suis ipsius auspiciis si res non agitur, jam ille  
alienum ductum sequi cogetur; aut si vel ma-  
ximè suo arbitratu ei docere permittatur; quia  
tamen hoc casu collegas cæteros minùs in do-  
cendo consentientes habiturus sit, sanè nescio  
commodine plus, an incommodi qualiscunq;  
etiam industria docentis sit allatura, cum nihil  
magis profectibus discipulorum inimicum sit,  
quàm docendi diversitas. Et hæc quidem pe-  
nitus tolletur, si totum Scholæ (ut sic dicam)  
*σύνημα*, omnes omnium labores ad unius ductum  
compositi suavissimè conspiraverint, tantò illi  
utiliores & salubriores, quantò majore industriâ  
& alacritate res geretur.            B 2            Credo



Credo jam de loco amplius non pugnabunt; de famâ fortasse non concedent, quòd ea propter incertum rei eventum planè in incerto sita sit. At ego, cum eventum præstare vir bonus non debeat, iudicio sanctissimi viri D. Philippi Melanchthonis, de Ecclesiâ & repub. literariâ quàm rectissimè meriti, facilè acquiesco, cujus ego verba, quæ ipse de se scripsit, cum nunquam memoriâ meâ cedere velim, nunc reperere libitum est: *Utinam ego, inquit beatus senex, etsi tantum humilis fuisssem pedagogus, tamen in tali pedagogiâ etatis imbecillioris mansissem, de quâ dicit Filius Dei: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis. Quantum solatium est pio pedagogo assidentibus castis angelis sedere in cœtu incontaminato juniorum, qui DEO placent, & docere tenera ingenia, ut rectè agnoscant & invocent Deum, & deinde fiant organa utilia Ecclesiæ & suis animabus. Eant nunc licet delicatuli illi, & in sublimibus suis sublimem gloriam venentur, id certè nobis invitis aut nolentibus non erit: modò illi vicissim hanc nobis in hisce pulveribus, multis quidem contemptibilem, tamen cum bonâ conscientia salutis publicæ operantem laureolam, intactam & illibatam relinquunt.*

1. Offic.

At patria, porrò instant, non est deserenda, quæ, ut M. Tullius præclare inquit, omnes omnium caritates una complexa est. Ego verò locum hunc natalem, qui me vagientem excepit, lusitantem ac discentem tulit, docentem, & rem gerentem complexus est hætenus, & ipse purissimo affectu, si quisquam alius, prosequor, vetusq; illud sæpè iterare libet:



ὡς ἔδεν γλυκίον τῆς πατρίδος.

Verum non in superficie tignisq; caritas mihi patriæ pender; sed in iis ipsis, quos illa ambitu suo complectitur, defixa est. Itaq; & privatim amorem & benevolentiam meam approbavi, quibus potui, & pro utilitate etiam publicâ urbem Aurimontanam, quantum pote, excolui: atq; ita juventutis meæ, formatrici ἀντι-θετηνῆγια plenâ manu, atq; aperto animi sinu persolvi. Quid requiritis amplius? nempe ut & quod reliquum est vitæ hic exigas, atq; aliquando post fatalem illam vitæ pausam propter cineres tui Parentis, ac Tuorum contumuleris. Vellem sanè, & ut cum Poëtâ loquar,

*Me si fata meis paterentur ducere vitam,*

*Auspiciis, & sponte meâ componere curas,*

*Urbem natalem primùm, dulcesq; meorum*

*Reliquias colerem.*

4. Æneid.

Verum enim verò & vitæ cujusq; modus, & portus corporis, locusq; sepulturæ, ταῦτα θεῶν ἐν γένεσι κείναι. Itaq; de patriâ quid sentiam, porro attendite: Civis ego sum reipub. literariæ, in hac ego natus, in hac educatus sum, in hac semper vixi, ab hac divelli non nisi cum animâ potero: in hac deniq; si non cum purpuratis, & qui clavum tenent sedeo; tamen nec sum infra censum, & præfiscini dixerim, iis non accensendus, qui pullatam augent turbam. Quòd si igitur, quæ mihi pars reipub. concredita est, eam ego sobriè ac frugaliter accuravero, quocunq; in angulo id fiat, certè nec exul, nec hospes, nec peregrinus censeri possum. Itaq; si me-



nascentem excepit, meas partes haecenus exsequi iussit, nunc verò, ut alibi rem geram, extrudit: istam profectò patriam nullus desero, cuius bono migrationem etiam domicilii apparo.

Restat nunc ultimum crimen dicam an calumnia nobis diluenda: non posse consistere, & secum morari, argumentum esse dicunt mentis non benè compositæ: fateor & ipse, atq; cum Poëtâ illis accino.

Lucret. 3.

*Exit saepe foras ex magnis adibus ille,  
Esse domi quem pertasum est, subitoque revertit:  
Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.*

Seneca E-  
pist. 9-  
Epist. 28.

Causam etiam, si ita vultis, tanti mali assignabo, quam tamen à Romano sapiente mutuari mihi fas esto: *Stultitia est quæ laborat fastidio sui. Quia igitur huiusmodi talis seipsum circumfert, eadem causa foris eum premit, modò quæ expulit: quod si onus illud animi deponat, jam illi sedes qualiscunq; hospitalis est futura.* Verùm quid hæc ad me tandem? certè si quispiam non vult alicubi consistere, ex eo neutiquam evinces eundem quoq; non posse:

Hor. 1. Sat.

*Est inter Tanaim quiddam, socrumq; Viselli.*  
Illud certè à iudicio & consilio est; hoc ab animi ægritudine & impatientiâ. Non volumus, quod non rectum, aut minùs conducibile putamus; non possumus, quod animi nostri libido & affectus averfantur. Ergo quod non possumus, etiam non volumus; at quod non volumus, non continuò etiam non possumus. Potui ego in patriâ aliquam multos annos morari, potuissemq; si Deo ita visum fuisset, longiùs ibi subsistere, utpote qui de mutandâ sede nunquam cogitavi, nec alios etiam, ut quid opis huic curæ afferrent,



afferrent, sollicitavi. Itaq; cum inclytus Senatus Jauroviensis de me in Scholam asciscendo Senatusconsultum fecisset, prius id ad alios, quam ad me ipsum, emanavit: & cum ab iis, qui huic rei quam honorificentissimè delegati erant, appellarer, *cantharino ritu* (ut Plautus loquitur) *astans* <sup>2</sup> *Menæch.*  
*somniare videbar.* <sup>3.</sup> Et quanquam ab initio nihil minùs cogitarem, quam huic vocationi annuere, tamen cum postea rem æquâ lance expenderem, ac Deo optimo maximo hoc ita digere fieri & ipse statuerem, & mecum quotquot in consilium adhibui, factum est, ut tandem in Dei nostri *ευδοκία* hac in parte libens acquiescerem. Neq; enim mihi id unquam persuaderi sinam, ut existimem, Deum non singulariter & animos Senatorum, de Scholæ moderatore deliberantium, impulisse, ut me ignotum omnibus, nisi fortasse uni aut alteri de nomine saltem, ambirent, & meam ipsius, meorumq; mentem inflexisse, ut ambientibus assentirem. Hæc hæc causa est, quæ mihi mutationem hanc persuasit, hæc dubitantem impulit, hæc factum est, ut omnia contrariarum rationum pondera, quæ diu me exercitum habuere, tandem dissiparentur, planeq; evanescerent, Ita namq; supremus ille Imperator omnium animos, etiam refractariorum, quotiescunq; allubescit, flectere solet, ut amplius non adversentur: ita illi adversari desinunt, ut se flecti non animadvertant, & quod Deus intendit, promptâ animi destinatione exsequantur.

Atq; ut vicissim aliquid reponam, scire sanè velim, quidnam *κομπισαί* illi, *καὶ μεγάλα φυσῶντες*, quibus, si verba spectes, *Dulce*



Hor. 3.  
Od. 2.

*Dulce & decorum est pro patriâ mori,*  
quiq; plantarum se similes reipsâ comprobant,  
quòd sicut istæ propriam à naturâ patriam, ubi  
affixæ sunt, acceperunt; sic illi nullo alio loco,  
quàm quo nati sunt, radices agere, atq; adole-  
fcere possunt, aliosq; eòdem constringi debere  
censent: scire inquam velim, quid illi tandem,  
existiment, cùm legant audiântve, sanctos Pa-  
triarchas, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, o-  
mnes Prophetas, omnes Apostolos, ipsum Sal-  
vatorem subinde peregrinatos esse, nec usquam  
ferè domicilium fixisse: fortasse & hos eadem,  
illâ virgulâ censoriâ notabunt? imò verò, in-  
quiunt, divinum in his agnoscimus mandatum.  
rectè sanè: & nobis fati illa inevitabilis necessi-  
tas obtentui sumpta est: veruntamen porrò co-  
gitandum censeo, quid tandem divina majestas  
hoc ipso innuere, & commonere omnes volue-  
rit. Profectò cùm rem justâ lance expendo, di-  
cere cogor, hanc ipsam peregrinationem san-  
ctorum Dei saluberrimam commonefactionem  
esse exilii nostri, quo in primo nostro parente,  
justo DEI judicio ex paradiso ejecto, amissâ  
immortalitate & justitiâ, mulctati fuimus: atq;  
ipse Dei Filius cœlo extorris esse, omnesq; exi-  
lii nostri miseras in his terris experiri voluit,  
ut justitiâ reparatâ ab exilio reducti cœlesti pa-  
triæ quasi postliminio restitueremur. Sed & il-  
lud nos subinde cogitare Deum voluisse existi-  
mo, omnes nos in totâ hac terræ superficie hos-  
pites esse, & peregrinos, commorandiq; ~~diu~~  
nobis locum, non habitandi fuisse designatum,  
ut tanto majore desiderio ad verâ & cœlestis  
patriæ



patriæ æternam, & omnibus modis beatam habitationem enitamur. Et certè cùm superioribus diebus libellos & cartas meas componerem, cùm sarcinulas suas uxor contraheret, cùm omnem supellectilem convasaret, semper mihi in animo, fore aliquando tempus, cùm Deus & natura æthereum terreni huius domicilii hospitem exire, & emigrare jubebit. Et quis scit, quot diebus, quot horis ab extremo illo articulo absim? Nam menses, aut annos dicere vix debeo, propterea quòd

*Vita summa brevis spem nos vetat inchoare longam.*  
Sed quandocunq; tandem fuerit, ut collectis vasis procinctum movere jubear, cœleste Numen veneror, ut placidè & fidei plenus hanc mortalitatem beatâ immortalitate mutare, & ex calamitoso hoc hospitio in felicissimam patriam migrare liceat: cujus quidem quia nunc præclarè admoneor, & tanquã in speculo intueor, meritò gratiam habeo discessioni meæ, cujus hunc tam præclarum fructum fruor, cùm nihil utilius sit homini Christiano, quàm subindè recordari novissima.

Tandem tandem me expedivi, tandem ex illustri Aurimontanâ excessi, tandem ex patriâ mei studiosissimâ emergi: nunc (quod felix & faustum esse jubeat supremus omnium Scholarum Scholarcha) memet vobis, exoptatissimi Jaurovienses, ex voto vestro sisto, nunc vos, postquam scopulos illos & charybdes, à quibus mihi timui, prætervectus sum, oratione meâ compello, viri reverendâ dignitate, excellenti doctrinâ, singulari prudentiâ ac rerum usu spectatissimi

C

ctatissimi



Statissimi, vos nunc, inquam, compello & allo-  
quor: & quoniam vestro vocatu hisce diebus  
cum familiâ, & supellectile meâ huc appuli, pri-  
mùm huic rei prævortendum censeo, ut mea  
vobis studia & officia de hoc suggestu, in quem  
hoc ipso die me collocatû voluistis, aperto ani-  
mi sinu deferam, vicissimq; à vobis stipuler, ut  
Scholæ vestræ regendæ, & excitandæ spem de  
me summam habeatis. Atq; ut huic rei, quam  
peto, argumentum dicam, hoc ipsum tempus,  
quo Scholam vestram ingredior, (nam de meis  
dotibus prolixè polliceri nec possum, nec si pos-  
sem pudor meus sineret) tempus, inquam, præ-  
sens quæso considerate: hoc ipso certè rei lite-  
rariæ auspiciari solebant veteres, & interpellata  
temporibus studia, laboresq; intermissos, dum

*Albæ leone flammeo calent luces,*

*Tostamq; fervens Julius coquit messem,*

Idibus Octobribus instaurabant. Nonne ani-  
madvertitis, me velut ominatum ad auctiorem  
ludum aperiendû (quidquid malevoli, & bono  
publico invidètes obmussitent) advenire, qui eo  
ipso mense, & penè die novæ provinciæ conse-  
cror, quem veteres sapientes, vel potius ipsa  
Natura studiis vel inchoandis, vel continuandis  
destinavit? Sed ne fortassè vanæ superstitionis  
vos implere velle videamur, agite hoc agamus,  
& quod præsentis diei festivitas à me requirit,  
ad id tandem accingamur: profectò omninò ita  
faciendum est, & quod huic panegyri quàm  
maximè congruit, bonum vobis Ludimodera-  
torem oratione nostrâ adumbrabimus: ita dico,  
bonum Ludimoderatorem penicillo vobis de-  
pictum



piculum dabimus, cujus imaginem spei vestrae  
oculos pascere volumus. Qui enim negotii, de  
quo agitur, gnarum & probe intelligentem vi-  
det, cui id commissum fuit, utiq; in spem pro-  
pinquam imminet rei potiundae: at si rudem na-  
ctus sis, & qui, sui quid officii sit, non perspicit,  
*omnis tibi spes* (ut Comicus loquitur) *animum* 4. Truc. 4.  
*efflaverit.* Verum ne longioribus ambagibus

vos circumducemus, qui jamdudum aquam  
nobis effluxisse sentimus, agite, auditores pra-  
stantissimi, sustinete aequo animo de argumen-  
to Scholastico scholasticè differentem, & si for-  
tè, quae dicenda videantur, vel praetermiseri-  
mus, quod brevitati studemus, vel omiserimus,  
quod non vidimus, meminisse vos volo, ne so-  
lem quidem ipsum mundi oculum omnia videre.

Quomodo igitur bonum Ludimagistrum,  
definiendum censebimus? vulgo quidem nunc ii  
habentur optimi, aliisque praefertur, ad quos  
magnus discipulorum fit concursus, quosque quam  
frequentissimo auditorum coetu stipatos vident:  
verum hoc iudicium, quia ab incerto eventu su-  
mitur, lubricum est & incertum: quia a promi-  
scua fit plebe, contemnendum est, rejicien-  
dumque. Est quidem, cum circa quem *ὄσκησις ἐχέτω*  
videmus discipulos, eundem dexteris nota  
doctorem ex eo ipso conicere liceat: verunta-  
men hic visio opus est, cauto opus est, ne deci-  
piamur. Annon auditores, spectatoresque plu-  
rimi ad mimos, ad histriones, ad praestigiatores,  
ad Schoenobatas, ad Sanniones, ad lymphatos,  
ac cerritos libentissime, avidissimeque conflu-  
unt? annon maxima pars hominum impensius



Cicer. pro  
Plancio.  
Sallust. O.  
rat. ad Cæ-  
sarem.  
Seneca de  
be. vitâ c. i.

Quintil.

aput Nell.  
Patercul.  
l. 2.

cupidiusq; sectatur, quorum minor est fructus,  
& quæ nullius sunt usui? Quid ita? *Quia non est  
consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non dili-  
gentia. Itaq; multitudo illa vulgi more magis, quàm  
judicio post alius alium quasi prudentiorem sequuntur:  
Et ut pecudes antecedentium gregem, pergentes non quâ  
eundum est, sed quâ itur.* Sic agnorum grex petro-  
nem suum, quacunq; ille incedit, sequitur: sic  
graculos, sic sturnos, sic turdos, sic aliorum ge-  
nerum aviculas gregatim advolare & revolare  
videmus: sic apiculæ non rarò in unum conglo-  
batæ delitescunt, ociosèq; apricantur, planè  
eodem modo ut discipuli, qui modò huic præ-  
ceptoris addicti, mox ad qualemcunq; famam  
alterius priore relicto huc properant, desidentq;:  
in hoc tamen dissimilitudo non levis, quòd  
fumum apiculæ non ferunt; hi fumum amant,  
ultroq; appetunt. Ita namq; comparatum est,  
ut quæ speciem aliquam præ se ferunt, & in o-  
culos incurrunt, ea pleriq; aestiment, fumosq; il-  
los emere precio precioso velint: at certè ma-  
gno suo cum malo. *Vt enim staturâ breves in digi-  
tos eriguntur, Et corpora non robore, sed valetudine in-  
flantur;* sic illi infirmitatis suæ sibi conscii man-  
tellum & velamentum sibi undecunq; accersere  
allaborant. Multò certè melius L. Piso, quæ a-  
genda sunt, curare jubet sine ullâ ostentatione  
agendi: cùm certissimum sit ex Græcorum ve-  
riverbio, *Θρασὺν πρὸ ἔργων ἐκ πολλῶν κακῶν.* Hæc ut me-  
lius intelligatis, aliis omnibus omissis fabellam  
saltem vobis referam, quam mihi olim puero  
anicula narravit: Verno tempore cùm ficus jam  
grossis esset gravis, & spina floreret, verbis, qui-  
bus



bus inter se plantæ loquuntur, spina ficum am-  
bitiosè rogavit, ubi tandem flores suos haberet:  
ficus contrà spinam, ubi fructûs haberet, inter-  
rogavit: fructûs, inquit spina, mihi natura ne-  
gavit: quare igitur, respondit ficus, flores meos  
requiris, cùm floribus multò præstantiores fru-  
ctûs videas? Hæc ego tum pro meâ copiâ, quæ  
pueris esse solet, verè ita contigisse, ut narra-  
bantur, credidi: postea tamen adultior factus  
didici, ipsam naturam nobis adumbrare voluis-  
se, in ficu quidem, quæ floribus destituta dulcis-  
simos copiosissimosq; fert fructûs, hominem,  
qui ab omni ostentatione alienus, plus præstat,  
quàm verbis præ se ferre consuevit: in spinâ  
verò, quæ floribus superbit, fructûs nescit, eos  
ipso, qui in contrariam partem palmam possi-  
dent, hoc est, qui cùm multa arroganter jacti-  
tent, parum tamen vel nihil præstare consue-  
verunt, suntq; revera *νεφέλαι μίπω γόνιμοι.*

Quid igitur mirum facit multitudo, si spinæ  
flores, quos videt, fici, quos ignorat, dulcissimis  
præferat fructibus? si ad ineptum, ad jactabun-  
dum gregatim advolet magistrû, commodum,  
& qui frequentiam nec contemnit, si adsit; nec  
si absit, requirit, planè negligat? Etenim, ut sa-  
pienter Seneca, *indiciu pessimi est turba.* Vultis  
hujus rei exemplum? dicam insigne: Menander  
arte & doctrinâ Philemone longè erat præstan-  
tior, & tamen turpi stultoq; populi judicio ab eo  
sæpè superatus est, ut & rideret, qui vinceba-  
tur, & erubesceret, qui vincebat. Præclarè i-  
taq; Chrysippus, qui doctore uti noluit Aristo-  
ne, hoc maximè argumento, quòd multos ha-



1. Histor.

beret auditores, hoc est, ut interpretabatur, imperitos, & inter quos nullus esset philosophandi locus. Videtis, auditores humanissimi, multitudinem discipulorum notam eruditi & commodi præceptoris esse non posse, cum extrinsecus hoc adveniat à judicio vulgi, *cui non iudicium, non veritas*, si Cornelio Tacito credimus.

Seneca,  
Epist. 14.

Quid igitur si bonum Ludimoderatorem, eum dicamus, ex cuius Scholâ multi rectè informati prodeunt discipuli? Sanè de hoc nemo, credo, est, qui dubitet. Nec enim doctiores alios reddet, qui ipse doctus non sit; nec meliores, qui non idem bonus. Nisi fortasse Præceptorem quis cotis similem esse velit, quæ, sicut ferrum acuit, cum ipsa sit hebetissima; sic discipulum ad ea perdiscenda deducat magister, quorum ipse sit ignarissimus: quos quidem ego, qui sic credunt, si tamen sunt, qui sic credant, *jubeo abire Morboniam*. Verum enim verò, ut ad rem redeam, non est sapientis ita judicare: *initia rerum omnium, non exitus spectari oportet: quòd initia in nostrâ potestate sunt, de eventu fortuna judicat*. Non igitur bonus magister solus est, qui doctos facit discipulos, cum bonus magister esse possit, etiam cuius discipuli evadant non docti. Nec enim sufficit ad eruditionem acquirendam, ut in præceptorem quis incidat commodum (quod tamen in maximâ parte felicitatis suæ Plato ponere est solitus) sed requiritur etiam ingenium habile doctrinæ: neq; ingenium tantum; sed & diligentia: neq; hujusmodi diligentia, quæ statim evanescat; sed quæ cum inexpugnabili conjuncta sit perseverantiâ. O miserum magistrum.



strum, qui in discipulum incidit inertem! miserrimam, qui ubi nactus est, qui capere doctrinam potest, nec vult tamen, nisi quantum vi, aut metu cogitur! miserrimum qui aliquantisper in officio continuit ingenium docile, mox tamen ille excusso jugo desidia in ocio operam dare incipit! Perierunt labores, contentiones, vigilia ipsius, etiam cum jacturâ aliquâ famæ, præfertim apud imperitos rerum aestimatores. Nihil enim quàm verè, quod ille de suâ familiâ dixit, in talem doctorem congruet:

*Ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero famâ foris.*

Terent. 2.  
Hecy. 1.

Sed de Ludimagistro ita judicare si maximè liceat, non expedit. Quis enim eventum illum, qui in multos rejicitur annos, semper expectet, judiciumq; sustineat? non solum quia *πᾶν γὰρ ἐπιπῶνον προσδοκᾶν*: sed etiam quòd de magistro nemo ferè priùs cogitat, quàm aut cùm semet ei, aut liberos erudiendos tradere necessum habet.

Menander,

Itaq; ex unanimi consensu eruditorum omnium bonum præceptorem definitio, qui juventutem rectè docet, & benè regit. Docere & regere debet Ludimagister, & utrumq; rectâ ratione: docere eruditionis est, regere auctoritatis, utrumq; singularis ejusdam sollertiae & dexteritatis. Sed placet officia hæc Ludimoderatoris seorsim accuratiùs paulò expendere. Doctrina, quam primo loco ponimus, in eo consistit, ut primùm quidem fundamenta puræ & orthodoxæ religionis jaciat, cujus rei causâ Scholæ potissimùm sunt constitutæ: sed & humanæ sapientiæ semina sunt spargenda. Itaque namq; religionis causa, & quæ ad illam cœlestem





stem vitam adducunt, primas obtinere, & restim  
( quod aiunt ) ducere debent, ut ea interim, quæ  
huic vitæ degendæ necessaria sunt, nō negligan-  
tur: ita mortalis huius vitæ comoda sunt spectā-  
da, ut cœlestis veritatis studium non postpona-  
tur. Magnum hoc opus: quis neget? quodq;  
eruditionem requirit non vulgarem, qualis ta-  
men in plurimis fortasse sit deprehendere. Quot  
enim passim reperias literatos, qui tantam sibi  
eruditionis supellectilem compararunt, ut huc  
viam puero præire possint? Verùm opus præte-  
rea est accurato iudicio, ut ex ingenti copiâ,  
quæ vulgo tradi solent, seligas optima, eaq; ju-  
sto tempore & ordine proponas: opus est ma-  
gnâ dexteritate, ut quantâ fieri potest brevita-  
te omnia, sed tamen perspicuè, sed planè tra-  
das & explices, exemplis etiam idoneis, & quæ  
ad imitationem maximè sint accommodata,  
illustres: opus est industriâ singulari, ut usum  
monstris præceptorum, & ad imitationem eo-  
rum, quæ proponuntur, præpares & conformes  
discipulos. Iudicium à naturâ est, sed quam ad-  
juvat eruditio; dexteritas ab ingenio, quod cu-  
ra provehit; industria ab exercitatione, quam  
confirmat diligentia: singula laborem, robur,  
tolerantiam desiderant: calumniis, obrecta-  
tionibus, cavillis exposita sunt universa. Illud  
quoq; iudicii dicam, an dexteritatis est, ne ex-  
tra oleas, ( quod dicitur ) feratur præceptor,  
iisq; neglectis, quæ puerilia sunt, quæ trivialia,  
quæ protrita, hoc est, quæ sui auditorii, subli-  
miora, & quæ magis in oculos incurrunt, secte-  
tur, quæ vel non assequantur discipulos, vel cer-  
tè ab



tē ab inferioribus studiis, & sine quibus ad solt-  
dam eruditionem nemo aspirare potest, abdu-  
cant. Quo quidem casu duorum malorum alter-  
utrum subeant discipuli necesse est, ut aut ea,  
quæ pueri discere debuissent, perpetuò ignorent  
cum summâ turpitudine; aut serò addiscant,  
cum insigni jacturâ studiorum sublimiorum.  
Hæc sanè quæ hætenus enumeravi (quanquam  
generatim saltem. nam singillatim omnia per-  
sequi non necesse habeo) hæc inquam docere,  
& ad hunc modum sedulus debet præceptor;  
sed sūntne hæc omnia? Neutiquam verò omnia,  
Ut enim gladiator, tametsi probè præmedita-  
tus se pugnæ committit; *sepè tamen* (quod est in  
proverbio) *in arenâ consilium capit: aliquid adver-*  
*sarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio*  
*corporis intuentem monet.* Sic Ludimoderator, li-  
cēt benè sit instructus ab his dotibus, quas modò  
commemoravi: ubi tamen in suâ arenâ versari  
incipit, cum aliis etiam difficultatibus, quas ani-  
mo non præceperat, conflictatur, quæ docendi  
cursum impeditum & arduum ipsi reddunt; &  
subinde multa ipsi auditorium suum, si fideliter  
illud circumspiciat, suggeret, quæ institutam  
docendi rationem vel immutent, vel inflectant.  
Non enim uniusmodi ingenia excolenda acci-  
pit, sed planè diversa: hic statim proposita arri-  
pit, ille tardiusculè, non nemo etiam ferè nun-  
quam: alii hoc modo, quo in docendo uteris, fe-  
licissimè proficiunt, alii difficiliùs, alii planè  
singulari viâ volunt deduci. Sunt qui sponte  
discant, quæ jubètur, alii non nisi minis perter-  
riti, aut etiam pœnis compulsi. Itaq; hîc nō erudi-

D tio



Seneca  
Epist. 39.  
Petrarca.

tio præceptoris requiritur, sed prudentia quã  
subfervire cujusq; ingenio noverit: in aliis fovē-  
da alacritas, quam sponte afferunt, in aliis  
comprimenda, & tanquam nimium luxurians  
aliquantillum depascenda; in plerisq; omnibus  
excitanda ignavia est: stupidi æquo animo sunt  
ferendi, subveniendum tardioribus, & quasi  
manu ducendi: vegeta illa, & tanquam ignea  
ingenia magis magisq; provehenda, & maturè  
Heliconi inferenda. Alendum etiam de in-  
dustriã est æmulandi studium, & ἀζαθήτης, quam  
vocat Hesiodus: quod quidem spe laudis & glo-  
riæ, aut ignominiaæ metu ac pudore facilimè  
efficietur. *Habet namq; hoc in se generosus animus, ut  
cōcitet ad honesta: multisq; sepè quod vis animi nō dabit,  
contulit vis pudoris.* Hæc generosa invidia, & de  
laude contentio præsentissimam vim habet ad  
augendos progressus discipulorum, cum sine illâ  
sepè etiam diligentissimi de alacritate pristina  
multum remittant. In primis verò discipulorum  
animis φουλατία eximenda est, & sublimis de suo  
ingenio & profectibus persuasio, quæ solidæ  
eruditioni quàm maximè obstat. Fit enim ne-  
scio quomodo, ut qui ab initio benè profecerint,  
continuo persuasione quâdam turgidi, se jam  
pervenisse somniant, quò erat contendendum.  
Hoc igitur semper agat industrius præceptor,  
ut modestè de se, suisq; profectibus sentiant  
discipuli. *Primus enim (verba recito Petri-Pauli  
Vergerii) ad disciplinas gradus est posse dubitare: nec  
est quicquam discipulis tam inimicum, quàm si nimi-  
um de propria eruditione præsumant, aut de ingenio sibî  
confidant. Qui ipsis se contemnit (inquit ille apud  
Comicum)*



Comicum) *in eo est indoles industria.* Videtis, au-  
ditores optimi, quanta, & quàm varia ab eo re-  
quiratur, qui laudem boni præceptoris aucupe-  
tur. Itaq; ut hæc omnia exsequatur, ut ejus doctri-  
na omnium animis meliùs influat, nec temerè ef-  
fluat, propè in versutum quempiam Protea-  
transformetur oportet, & in omnes se formas  
convertat, omniumq; ingeniis, etiam diversissi-  
mis sese accommodet. Quin imò callidus fiat,  
Prometheus, atq; ope Minervæ ignem clam,  
suffuratum de cœlo hominibus referat, hoc est,  
ignem sapientiæ in animis puerorum paulatim  
reconflatum nutriat, excitetq;: vel potiùs, ut  
fabulosus ille Iapeti filius, tardiores feliciore  
mixtione refingat, illisq; largiorem doctrinam,  
quantum pote, invergat. Quid multa? ipsemet  
Mercurius evadat, & interpres Dei atq; inter-  
nuncius ad pueritiam omnib; bonis, quæ tanto  
muneri perficiendo sunt (quemadmodũ fabulo-  
sa Poëtarum natio suum illum caduceatorem  
exornavit) probè instructus rem gerat. Sit pru-  
dens, sit callidus, sit facundus, sit omnibus ama-  
bilis, sit lyræ fidiumq; non ignarus, dulciq;  
verborum lepore mollissimè in aures influat:  
sit munitus talaribus, hoc est, nunquam segnis  
& procrastinator: sit deniq; caducei insig-  
nis quàm maximè venerabilis. Hic mihi nunc  
omnino subsistendum est, neq; si maximè ve-  
lim, ulteriùs possim progredi, qui jam cum meo  
Ludimagistro ad cœlum usq; perveni & ad  
concilium Deorum. Quomodo docere bonus  
præceptor debeat, quibusq; artibus ad provin-  
ciam hanc accedere, jam intelligitis: quòd si



quid hac in parte titubatum fuerit, nã ille à  
rectæ institutionis laudibus longissimè aberit,  
metusq; fuerit, ne titubans ille & claudus ma-  
gister Deorum concilio indignus cum claudo  
Deo in Vulcanias insulas præcipitetur.

Venio nunc ad alterum officium præcepto-  
ris, quod in regendo consistere diximus, ex quo  
Rectores illi, quibus summa disciplinæ Scho-  
lasticæ commissa est, dici cœperunt. Neq; enim  
fatis est, ut bonis literis imbuatur juvenus, nisi  
etiam mores ipsorum liberali disciplinâ com-  
ponantur, non solum ut cultiores evadant, sed  
meliores. Etsi enim literarum illa cultura

*Emollit mores, nec sinit esse feros,*  
ut ex re ipsâ humanitatis studia rectè dicta fue-  
rint: animi tamen malignitatem & fœcordiam  
per se illæ non adimunt. Placet vetus illud:

*ὦς ἰδοὺν ἢ μάθης, ἀν μὴ ἴδῃς παρῆ.*  
Atq; ut moderatis ingeniis maxima adminicula  
ad virtutem & sapientiam sunt literæ; ita mali-  
tiosis & fatuis eadem vel instrumenta sunt per-  
niciosioris injuriæ, & quod olim dicebatur: *Gla-  
dius in manu furiosi*; vel occasio stultitiæ detegen-  
dæ. Claudium Imperatorem, & Neronem pri-  
vignum ejus, ac successorem sanè doctos fuisse  
constat: sed neq; illius stoliditati & vecordia,  
neq; hujus immanitati & flagitiis mederi literæ  
potuerunt: quin effecerunt, credo, ut nec illius  
lateret fatuitas, nec simplicitatis velum hujus  
haberent facinora. Quapropter si in docendo  
vel maximè diligens sis & industrius, nisi etiam  
liberalem adjungas disciplinam, omnem illum  
laborem tuum, tametsi per se laudabilem, &  
quantivis



quantivis precii, non certé emam civilitate  
 Plautino: aut ut Græci dicunt: ἐκ ἀν περιαιμην τερευ-  
 μένυ χαλκῶ. At si cum doctrinâ disciplinam con-  
 jungas, jam ille tuus discipulus non doctior so-  
 lum fiet; sed modestior, sed probior. Præclare  
 Seneca: *aliquem, inquit habeat animus, quem ve-* Epist. II.  
*reatur, cuius autoritate etiam secretum suum san-*  
*ctius faciat. Opus est aliquos, ad quem mores nostri se*  
*ipsi exigant: nisi ad regulam prava non corriges.* Hoc  
 ipsum suo etiam exemplo confirmat Themisto-  
 cles, qui cum adolescens feroci ingenio fuisset,  
 mutatos ejus mores admirantibus dixisse fertur:  
 asperos & indomitos pullos in optimos equos  
 evadere, si quis illis adhibeat disciplinam, re-  
 ctamq; institutionem. Quid? quòd nec ad pro-  
 fectus juventutis vim ullam habet doctrina sine  
 disciplinâ. Fervida illa ætas suâ sponte ad inu-  
 tilia, ad ludicra, ad ocium, ad lasciviam fertur,  
 à labore quàm maximè abhorret: hanc si suo  
 arbitratu discere fines, nihil discet. *Paucissimos,*  
*inquit idem Seneca, reperias, quibus ex se impetus*  
*fuit, qui seipsos protulerunt: major copia eorum ingenio-*  
*rum est, qui cogi ad rectum impelliq; volunt, quibus non*  
*duce tantum opus sit; sed adjutores, & ut ita dicam co-*  
*actore.* O præclarum, ô insigne bonum discipli-  
 na! quæ hoc efficit, ut & doctiores evadamus,  
 & meliores. O inutilis, ô detestanda res indul-  
 gentia! quæ ad scientias, ad probitatem, ad vir-  
 tutes omnem intercludit aditum, inscitiam,  
 improbitatem, vitia alit & corroborat. Pro-  
 bum illud, hominis alioquin non probi, ἢ πρῶ- Julianus  
 τῆς ἀυξείης καὶ τρέφει τὴν κακίαν. Et quid quæso de Imper. in  
 eo speres, qui jugum disciplinae nunquam tulit: Misopog-  
 ne,



quomodò is adultior se regi sinet, qui puer sub-  
esse non assuevit? quomodò coërceri poterit,  
qui impunè semper vixit? quomodò utiliter ali-  
is prærit, qui parendo id nunquam didicit?  
Quem perditum voles puerum, indulgenter ac  
delicatè habeto: docet hoc vetus illud:

Τὸ πρῶτον πατέρων διαφθείρει ἕνεκα πρέφουεν:

*Exitium natis parit indulgentia patrum.*

At evidentiùs hoc ipsa Natura adumbravit in  
simiâ: ea, ut ferunt, gemellos parit, ex quibus  
alterum admodùm diligit, alterum verò odit:  
quem amat, semper in oculis gerit, manibusq;  
suis gestat, dum alter neglectui habitus dorso  
matris hæret: & quia dilectum illum brachiis  
interdum paulò arctiùs constringit, animam ei  
intercludit, & sic contra votum suum enecat.  
Videtis simiam, dum, nimis delicatè habet  
foetum suum, parricidam fieri, ut jure meritoq;  
tam impium animal, ex mente C. Rittershusii  
in culleum cum parricidis includatur, ex lege  
Pompejâ de parricidiis: geminum planè faciunt  
ij, qui in summâ licentiâ & impunitate suos vi-  
vere permittunt: & licet illi non semper vitam  
eis eripiant; tamen, quod ipsâ morte gravius  
est, animum corrumpunt. De hac re audiant  
mihi indulgentes illi patres elegantissimum  
epigramma magni illius, quem modò nomina-  
vi, Rittershusii:

Ad Embl.  
77. lib. 2.  
l. Camer.

*Est cum & amare nocet: suffocat simia amando*

*Simiolum: exemplum hoc ô fugitote patres.*

Per patres etiam præceptores intelligo, qui  
quidem vicariam operam subeunt in educandâ  
juventute, & vel cum parentibus concurrunt,  
ut



ut mutuas utriq; dent operas; vel certè succedunt, ut, ubi parentum disciplina desinit, aut deficit, præceptores tanquam succenturiati subeant, & vel laborem cœptum continuent, vel omissum suppleant. Atq; utinam parentes ac præceptores ita hîc operas traderent mutuas, ut non his illi sæpe duriorẽ provinciam, facerent. Fit enim ferè, ut indulgentissimè domi paternæ habitû magistris tradantur liberi, qui quidem ferulæ Scholasticæ ægerrimè subiciuntur, majore etiam cum difficultate sub eâ detinentur, si solitâ indulgentiâ pertendant, parentes, & institutam præceptorum disciplinæ rationem pro suâ parte corrumpant, & ad vanum irritumq; redigant. Frequentissimum hoc est hisce moribus, & ideò, si nihil aliud, hoc certè maximâ regendæ juventuti difficultatem faceret: sed multa quoq; alia occurrunt, quæ eandẽ hanc difficultatẽ plurimû exaugent. Quanti enim illud putatis, quòd non uni alicui vicio, sed multifariis, sed omnibus obviam eundum est; neq; id simplici viâ, sed cum insigni cautione & arte? Discendi ardor, ut antea diximus, ab omnibus flagitandus est, profligandaq; ignavia; est tamen cum & nimia sufflammanda venit alacritas: in multis constringenda est audacia; sed timiditatis quoq; nõ rarò habenda ratio est: in plerisq; reprimenda est impudentia; sed excutiendus etiam in aliis pudor præposterus: domanda item iræ est impotẽtia, præcidendæ occasiones libidinum, mentiendi fallendiq; semper coërcenda est proclivitas, omnis temeritas, omnis levitas, omnis intempestiva de seipso



seipso persuasio ejicienda. Quid multa? cum  
hydrâ Lernæ rem habere dixeris, quicunq; a-  
dolescentiæ moribus formandis, animisq; fin-  
gendis operam suam accommodat. Etenim si  
cum uno aliquo vicio jam debellatum putes,  
en alia continuo pugna tibi pugnanda, idq; va-  
riâ arte & singulari industriâ. Aliter namq; in-  
genia liberalia tractari amant, aliter item servi-  
lia & refractaria: illis monitiones satis sunt,  
aut si fortè minæ; hæc non nisi verberibus &  
flagris continentur in officio. Itaq; severitas  
semper adhibenda, quæ tamen lenitate quâdam  
temperetur, ut nec nimiam severitate, nec faci-  
litate etiam nimiam utaris,

*Iusta pari premitur veluti cum pondere libra  
Prona, nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illâ.*

Sed tamen utramq; cum rectâ ratione modo in-  
tendere, modo restringere noveris. Neq; enim  
Orbilios illos probamus, qui pueros plagipa-  
tidas esse volunt, & ad exemplum Lacedæmo-  
norum institutionem juventutis totam in pati-  
entiæ disciplinâ consistere debere arbitrantur:  
& castigationem quidem adhiberi volumus,  
ut timeant, ut officium faciant, ut quod pravum  
est corrigant; non verò ut animum desponde-  
ant. *Ut enim nimia indulgentia bonam indolem solvit,  
ita gravis & assidua animadversio ingenii vires ener-  
vat, naturæq; igniculos in pueris extingvit, qui dum ti-  
ment omnia, audere nihil possunt: fitq; ut penè semper  
errent, dum in singulis rebus se errare timent.* Hanc  
moderationem feliciter adhibere quantæ tan-  
dem virtutis, quantæ scientiæ esse existimatis?  
Profectò nisi singulorum naturam pernoveris,  
nisi

Petri-Pauli  
Vergerii  
verba.



nisi qui frugi sunt, & ingenii liberalis ab improbis, & qui ad flagitia proni feruntur, discriminaueris, nunquam erit, ut non aut nimiam in illos severitate, aut in hosce lenitate pecces. Itaque ante omnia bonae indolis notas in puero probe circumspiciat praceptor, & ex iis rationem disciplinae suae moderetur. Qui studio laudis excitantur, qui gloriae amore incenduntur, qui libenter parent, qui praceptorum sunt amantes, qui minis terrentur, qui dedecus abhorrent, qui semper aliquid recti agere amant, qui benigni sunt, qui placabiles, qui liberales, ad commiserationem proni, proclives ad sordiditates, & quae plura sunt hujus generis, hos liberalis ingenii esse recte conjeceris: quoque plures in aliquo notas bonae frugis deprehenderis, hoc laxius eum habebis; quo vero pauciores, aut etiam contrarias improbitatis, hoc arctiore disciplinam constringes, improbitatemque retundes, non solum ut emendes; sed ut etiam documentum des iis, qui notae sunt probioris. Quae enim poenae bonam indolem frangerent, eae improbiori inflictae hortamento sunt ingenio liberali, ut malo caveat simili.

Intelligitis, credo, auditores humanissimi, hujusmodi Scholae gubernationem singularis esse scientiae; sed profecto nec minoris diligentiae & industriae: verum neque sic multum profeceris, nisi augustam quaedam & venerabili munitus quoque sis autoritate. Neque enim satis est monere, objurgare, deterrere, castigare, nisi cum gravitate quaedam id facias, ut aliquid proficias, ut emendes, ut corrigas. Itaque passim vi-

E dere





Terent. 5.  
Adelph. 3.

Plaut. 2.  
Trin. 2.

2. Epist. 3.

dere est, omnia quempiam agere, & parum tamen proficere; in alio firmum omne esse, quod agit: ut si in ullâ re aliâ, hîc verissimum deprehendatur vulgò quod dicitur: *Duo cum faciunt idem, non est idem.* Non quòd dissimilis res sit, sed quòd is qui facit. Hujusmodi divino bono (ut præclarè vocat Plato) qui ornatus fuerit, in eum rectè congruet, quod ille dixit: *Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem, quàm centum alterius:* imò plus ille verbulo, quàm cæteri verberibus, plus nutu, quàm duro imperio quivis alius profecerit. At hujusmodi autoritas non est nostri arbitrii; sed ab aliorum voluntate dependet, ut frustra sit, qui ab invitiseam extorquere velit: divinitus ea obvenit, & quasi nobiscum nascitur. Planè eodem modo ut ad cæteras præclaras actiones in vitâ quosdam peculiariter à naturâ factos videmus; sic ad regendas Scholas non formari, sed nasci aliquos dicendum erit. Verum enim verò tametsi fingere sibi autoritatem nemo potest, quam ipsi natura negavit: non desunt tamen adminicula, quibus industrius quispiam eam juvare & perficere poterit. Ac primum quidem esse puto opinionem solidioris cujusdam doctrinæ. Quomodò enim eum verebuntur adolescentes, de cujus eruditione dubitant? quomodò imperium ferent, cujus doctrinam contemnunt, nec sufficientem putant studiis suis provehendis? Sed quâ tandem ratione hanc sibi opinionem conciliabit aput pueros? num clarissimorum virorum hinc inde notitiâ, quâ nullam jucundior, nullam pulcriorem, nullam deniq; humaniorem esse

Plinius



Plinius censuit? at hanc illi vel ignorant, vel non aestimant. An igitur scriptis publicis, quæ quidem quid viri quis sit omnibus demonstrant? at ea illi vel non satis intelligunt, vel judicare nequeunt. Quid ergo est, quod ipsi hanc opinionem eruditionis aput suum auditorium concinnare poterit? Dicam uno verbo, diligentiam & industriam in juvandis profectibus discipulorum: Ex his illi formatorem suum judicant, ex his, præsertim qui liberalioris sunt ingenii, præsentem reverentur, absentem metuunt, audiunt monentem, ferunt castigantem: hoc si à præceptore suo se consecuturos non sperant, jam illi eum (licet alioquin vel ipso Socrate sit doctior) pro insulsissimo habent, præsentiam ejus contemnunt, amant absentiam, objurgationes rident, animadversiones vix patiuntur. Et certe mera carnificina est & tyrannis velle coercere eum, quem nullo apice doctiorem efficias. Magnum ad autoritatem conciliandam adjuvamentum industria præceptoris in profectibus discipulorum augendis: Sed audite mihi etiam efficacius. Quodnam verò illud? Effigiem & exemplar se præbeat magister omnium quæ à discipulo requirit, Tritum est illud: *pareto legi, quisquis legem sanxeris*. Rectè facere igitur præceptor doceat, sed suam vitam, qui cum, quid faciendum sit, monuerit, idem ipse præbet faciendo, nec unquam in eo, quod fugiendum dixerit, deprehendatur. Et quomodo tandem monentem audiat puer, quæ ipse monitor negligit? quomodo objurgantem ferat, cum, quæ in alio damnat, ipse perpetrat? quomodo casti-





gantem sustineat, in quo ipse culpâ non vacet?  
Ridebit discipulus monitiones tametsi saluta-  
res, si dicta ac facta præceptoris discrepare ani-  
madvertat: *plus siquidem ex moribus, quàm ex verbis*  
Seneca E- *trahimus.* Non feret severitatem castigantis, si  
pist. 6. eorundem viciorum affinem videat, ob quæ  
Cicero, ipse vapulat: *cùm nihil minus ferri queat, quàm ra-  
tionem ab altero vitæ reposcere eum, qui sua non possit  
reddere.* Regere vis? à te incipe: si secus faxis,  
in promptu est illud Poëtæ:

*Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus:*  
aut illud in apologo cancri filii ad matrem, à  
quâ jubebatur intortum & retrogradum inces-  
sum emendare: *i præ, mea mater, sequar.* Ad di-  
scendum exsuscitare vis torpentem? fac libri tu-  
um sint negocium, tuum ocium, tuus labor, tua  
quies. Pietatis amorem instillare cupis? cave à  
pietate ipse sis alienus, ac divini Numinis con-  
temptor. Ad decus, ad honestatem excitare de-  
bes? ipsemet recti boniq; studio tenere, &  
*aperto, quod dicitur, ostio vivas.* Ipse modestus si  
fueris, modestos facilè efficies; temperans tem-  
perantes; verax veraces; turpitudinis & flagi-  
tii expers, tui non absimiles. Magna vis est, au-  
ditores, exemplorum in utramq; partem; sed  
nulla efficaciam majoris, quàm eorum qui nobis  
sunt præpositi. *à capite namq; bona valetudo; imò*  
& mala. Itane est? in vitâ communi

Seneca 2.  
de Clemēt.

2.  
9. Martial.

81.

*Nemo suos, (hac est aula natura potentis)*

*Sed Domini mores Cesarianus habet.*

Principis igitur ac magistratûs sui mores imita-  
tur subditus; præceptoris, quem parentum ac  
magistratûs autoritas ipsi imitandum proposu-  
it, nihil



it, nihil possint in discipulo? At verò sapè vi-  
demus unius nebulonis conversationem totum  
cœtum inficere: ille igitur, quia socius est, hoc  
potest; præceptor, qui dux est, non possit? At  
hunc ut vitæ regulam omnes intuentur; illius  
mores plerisq; etiam suspecti sunt, & verò esse  
debent. Quæ cùm ita sint, boni præceptoris po-  
tissima cura hæc erit, ut bono exemplo discipu-  
lis suis præluceat, idq; non solum ad 'autorita-  
tem conciliandam & conservandam; sed omni-  
nò ad regendam juventutem necessarium est:  
è diverso nihil magis cavebit, quàm ne malo  
suo exemplo tanquam veneno peremptorio in-  
ficiat fidei suæ commissos. Quantum enim bo-  
na exempla possunt ad bonum; tantundem &  
mala ad malum: tantundem verò? imo plus eo:  
quòd omnes ad deteriora ultrò propendemus;  
ad meliora difficulter deducimur. Atq; vel hinc  
mihi quispiam difficultatē regendarum Scho-  
larum æstimet: ita se præceptor ad expolitum  
exemplar virtutis ac pietatis effingere debet, ut  
nunquam erret, vacillet, labatur:

*ἀνθρώπων δ, ἀψευδῶς ἢ καὶ χροὶ ζῆταί ἔδειξ,*  
*periculosumq; est (ut Romanæ conditor historiæ*  
*præclarè loquitur) in tot humanis erroribus solâ in-*  
*nocentiâ vivere. Frustra itaq; perfectè expolitum*  
exemplar illud quæras, quod nusquam est. Quid  
igitur faciendum? quid? nisi quod in humanis  
rebus, ut quoniam ad perfectionem in hac im-  
becillitate aspirare non possumus, ad id, quod  
perfectioni proximum est, velis equisq; quod  
dicitur, contendamus. Defectûs quoq; nostros  
& imperfectionem cœlestis Pater seriò invoca-

Lib. 29r





tus, quantum cuiq; satis fuerit, benignissime  
supplebit, qui profectò, ut in omnibus aliis acti-  
onibus; sic in hac quoq; provinciâ Scholasticâ  
principium, medium & finem suo sibi jure ven-  
dicat: nec quicquam in nobis & à nobis boni  
est, quod non ab hoc fonte derivetur.

Effigavi oratione meâ, auditores præstan-  
tissimi, bonum Ludimoderatorem, non quidem  
ut volui, sed ut debui: volui sanè majore appa-  
ratu, & proluxo verborum ambitu hæc omnia,  
persequi; debui verò brevitati studere, ne pa-  
tientiâ aurium vestrarum abuti viderer: illud  
meum ipsius decus requirebat; istud humani-  
tatis studium: vicit humanitas ambitionem me-  
am; sed ita vicit, ut major laus humanitatis,  
quàm affectatæ gloriolæ videatur. Itaq; nudè  
pleraq; & citra oratorum pigmenta delineavi-  
mus, ut singula ejus membra, eorumq; virtu-  
tem, omni supervacuo ornamentorum cultu  
neglecto, contemplari & dijudicare potueritis.  
Docebit igitur bonus magister fidei suæ concre-  
ditos divinæ & humanæ sapientiæ fundamenta,  
docebit cum judicio, cum dexteritate, cum in-  
dustriâ: disciplinâ quoq; utetur liberali, ut ti-  
meant, ut quæ docet arripiant, retineantq;, ut  
cultiores, ut probiores evadant: nec terrebitur  
hîc difficultatibus, nec abducetur impedimen-  
tis, nec expugnabitur molestiis, bono exemplo  
omnibus prælucebit: autoritatemq; ut obtine-  
at, nullis laboribus, nulli diligentia in juvandis  
studiis juventutis parceret. Ita demum doctos, ita  
probos, & ad omnem partem vitæ degendæ ap-  
primè utiles à se amittet discipulos; ita audito-  
rum;



rum, tametsi fortasse non semper numerosam,  
certè nō pœnitendā habiturus est frequentiam.

Perspiciatis jam, ornatissimi Domini Colle-  
gæ, (nam nunc mea vos compellat oratio) per-  
spiciatis inquam, aut verius dicam, jam pridem  
perspexistis, quid nostri sit officii, quantæq; dif-  
ficultates & molestiæ exantlandæ sint iis, qui  
operam suam Scholis addixerunt, nisi illi tur-  
piter suo deesse volunt officio: Veruntamen  
animum ne despondeamus. bonus animus in  
re difficili & laboriosâ adjuvat:

*Fortibus est fortuna viris data.*

Erinius

Ad vos ego nunc venio nō spectator vestrarum  
operarum; sed adjutor: formaturus hîc sum  
ingenia & mores juventutis, ut vestra in partem  
veniat industria: sicq; vestrâ ego utar industriâ,  
ut ociosum me nunquam experturi sitis cen-  
sorem, aut arbitrum. Sufferte (quæ voluntas  
est amplissimi Senatûs) me moderatorem labo-  
rum vestrorum, sed benevolentem, sed ad o-  
mnia officia humanitatis & amoris paratissimû:  
ita benevolentiam & officiis meis utimini, ut me  
moderatorem laborum vestrorum non averse-  
mini. Quod si ita in obeundo quisq; officio suo a-  
micè cōspiraverimus, profectò utilitati publicæ  
quàm maximè defervient operæ nostræ.

Vos verò discipuli flos civitatis Jauranæ,  
quos nunc primâ vice, quod Deus noster felici-  
tet, alloquor, cum, quid nostri sit officii, hacte-  
nus cognoveritis, quæ vestræ sint partes, facile  
conjicere potestis: docere ac regere nostrû est.  
ergo discere & parere vestrum. Discite per De-  
um immortalem, discite, quæ bonâ fide propo-  
situri





fituri sumus, audite monentes, quæ jubebimus promptè exsequimini. Nolite committere, ut vestra negligentia diligentiam nostram remoretur: hoc potius agite, ut nos currentes promptitudine vestrâ etiam alacriores reddatis. Nolite committere, ut vestra inobedientia ad justam animadversionem nos adigat: hoc potius agite, ut vestra probitas perpetuas ferias indicat ferulis Scholasticis. Sed quia vos compellendi & monendi quotidie deinceps erit occasio, hanc nostræ orationis partem longius extendere nolumus.

Et jam tempus est compellare te quoq; reverende atq; amicissime Domine M. HENTSCHELI Pastor vigilantissime, vosq; amplissimi Consules & Senatores, quos ad extremum mihi reservavi, cum primo loco ponere jus fasq; fuisset: veruntamen & nunc quoq; quibus verbis vos alloquar, admodum dubito. Cum vos animosq; vestros benè considero, pietatem fidemq; vestram admiror, quam quidem, quòd de excitandâ Scholâ vestrâ seriò cogitatis, abundè testatam facitis: pietatis est juventutis educationem piam & liberalem provehere; fidei verò ex omni parte commodo publico invigilare. Atq; utrum plus hîc laudem, qui svasit, an qui svasenti auscultarunt, non abs re in incerto sum. Svasisti clarissime Hentscheli præeunte Pietate; persuasi estis inclyti Senatores eâdem pietate fideq; suggerente & instigante: pietati merces sua reposita est apud Deum; de fidei præmio emolumentum publicum judicabit. Pergite verò, ut cœpistis, nec defatigamini in cursu  
tam



tam pio, tam utili, tam salutari: nolite committere, ut malevoli vestri, (si qui sunt) & obtrectatores cum risu plus quam Sardoo vobis objiciant illud, quod est apud Tacitum: *Novarum rerum acria sunt initia, at finis incuriosus.* Etsi enim, *cujusq; rei potissima pars est principium, omniaq; dum incipias, ut ille ait, gravia sunt, dumq; ignores, ubi cognovis facilia:* tamen capisse non est satis, sed perseverantia requiritur, ut quod utiliter captum fuit, prudenter digeras, fortiter persequare, laudabiliter conficias. Ipsi patrem familias merito rideatis, qui cum ædificandi susceperit consilium, fundamenta quidem firmissima jaciatur, parietes ad justam altitudinem educat: postea tamen ædificatione deposita tectum superstruere negligat. Ad ædificium, quod animis vestris concepistis feliciter educendum præsto sunt architecti & redemptores; suis etiam structoribus, & fabris res agatur. Itaq; de initio tam arduæ structuræ jam securi esse potestis; nõ etiam de progressu, quem vestrâ sollicitudine plusquam paternâ, vestrâ benevolentia & liberalitate urgere & promoveri debetis, ut ad optatum finem molem hanc aliquando perducatis.

Credite mihi, viri amplissimi, fervebit opus, quàm diu calida vobis hæc cura; tepescet, simul illa refrixerit. Difficillimum opus est, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλός, cum in ungui lutum est, hoc est, cum ultima manus adhibenda. Nolite committere, ut quorum nunc pium & præclarum conatum omnes vel inviti laudare coguntur, eorum ἀπότευγμα, & quod minus rectè sub manûs res succedat, tacito voto publicæ utilitatis hostes ri-

F deant,

l. facturus  
r. D. de  
orig. juris.  
Terent. 5.  
Heaut. 5.



Plaut. Ca-  
ptivis.

deant, de eoq; sibi quàm maximè gratulentur.  
Hoc ne fiat in vestrà est manu, si quem animum  
ad negocium hoc suscipiendum attulistis, eun-  
dem in posterum quoq; quod speramus & vo-  
vemus, nobis conservabitis. Et certè, si benè vos  
perspexi, quod vestrarum hìc est partium, tam  
*in proclivi vobis erit, quam imber quando pluit*: at ve-  
rò meum pensum cum specto, atq; onus, quod  
nunc mihi imponi patior, cum animo meo vo-  
luto, multiplex cura mihi pectus pulsat, & mo-  
dò non cum Plautino servo exclamo:

Bacch. 5.

*Insanum magnum molior negocium,  
Vereorq; possim rectè ut emolirier.*

Verum ad divinam cum respicio providentiam,  
aqua mihi rursus aspergitur. Non enim casui  
imputandum est, aut cœcæ Fortunæ, tametsi eã  
rerum humanarum Dominam professi sunt,  
ethnici, quòd hìc sto: sed Dei nostri benignissimæ  
voluntati, quo jubente & decernente nunc hanc  
Cathedram teneo. Et de ejus gratiã ac bene-  
dictione non optima quæq; mihi spondeam.  
Profectò qui hanc mihi imposuit provinciam,  
eundem mihi *παράστυν* fore certò scio, ut suble-  
vet, ut adjuvet, ut tueatur, ut consoletur: atq;  
ut faciat devotè ei supplicare nunquam desi-  
nam. Vestra quoq; benevolentia, amplissimi  
viri, quam prolixè testati estis, multum me eri-  
git & consolatur: de quã quidem, ne addubita-  
re videar, plura nunc dicere supersedeo. Sed  
& doctrinæ meæ, ingeniiq; tenuitati subsidio  
veniet propensa nostra ad studia juventutis  
provehenda voluntas, & qualiscunq; industria.

Ad



Ad calumnias verò vel perferendas, vel propul-  
sandas, quæ quidem nostri ordinis homines  
(quibus attestatè Plinio secundo *nihil aut simplici- 2. Epist. 23.*  
*us est, aut sincerius, aut melius*) præ cæteris maximè  
incessunt, animo plane obfirmato venio: & ad  
leves quidem susurros & incertos obtrectatores  
aures obturabo, aut plus non curabo, quàm  
(ut cum Homero hoc dicam) *εἰ με γυνὴ βάλοι, ἢ*  
*παῖς ἀφρον:* at verò atrociores & qui salvâ con-  
scientiâ & famâ ferri non possunt, myrto coro-  
nabo, non ex more veterum tyrannorum; sed  
ex lege Charondæ.

Jam vobis, auditores hospites viri doctissi-  
mi humanissimiq; qui vestrâ præsentiam festivi-  
tatem hanc panegyricam exornare voluistis,  
quibus tandem verbis gratias agam? Sanè hunc  
honorem non tam mihi habuistis, quàm studiis  
nostris, de quorum salute hîc agitur: verunta-  
men dum nostra illa studia ad hunc modum ho-  
norare voluistis, non vulgari me quoq; adoreâ  
maçtatum intelligo. Profectò vel hinc scimus  
omnes, iis artibus vos probè expolitos esse, quas  
tantopere amatis & ornatum itis.

Quod superest, ad Deum nostrum mentem  
nunc meam erigo, linguam dirigo, eum supplex  
veneror: Pater cælestis, ad nominis tui glori-  
am, ad propriam salutem, ad compendium pro-  
ximi ingenia puerorum in Scholis excoluntur,  
lingua formatur, ratio dirigitur, affectus coër-  
centur, intellectus perficitur: hoc fine & ipse  
hodie talem & tam arduam capio provinciam.  
largire ô mitissimè Pater, ut, quos tuis auspici-  
is la-



is labores exordior, felicissimè procedant, desi-  
nantq; in majestatis tuæ gloriâ, in æternâ  
salute discipulorum, in emolumento  
plurimorum, propter filium tu-  
um dilectû à quo & in quo  
omnia habemus. Amen.

☉ ( ) ☉



DIXI.



ULB Halle  
002 677 830

3



56

Nv 1999

(1/69.)

VD 17












B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TECHNERI

TANI

TIO

RALIS,

oderatoris

bravit:

*hola*

ENSIS

TIO

publicâ so-

ndaretur,

RIBUS



st. 8.

*ionis radium labo-  
s modò; verume-  
us impetrandum est.*

LAI SARTORII.

61

